



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

7. Sine fame, nemo pro cibis laboraret.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

tur, de quibus in primo tomo, de Iudicijs, quæ DEVS in hoc mundo exercet, prolixius fecimus mentionem. Quia spectant ad diuinæ providentiæ bonitatem. Quemadmodum & illa, quæ de Cyro, de Romulo, & Remo, de Habide, Hierone, Camilla, Atlanta, Telepho, Pindaro, Felia, ac similibus, in profana historia, narrantur.

Sed, vt dixi, hos omittamus, & videamus, cur DEVS naturalem illam famem hominibus voluerit insertam? Facileque eius consilium apparet: quia non tantum corpori nostro necessarium est alimentum, verum etiam, quia in eo querendo non est exiguus labor: multi sanè eum laborem omitterent, negligenterque curam cibi, nisi ad eum fame extimularentur. Præcipua ferè plebeiorum cura est, vt stomacho & ventri satis faciant, vt liberos & coniuges alant. Quod sanè cum labore faciunt, sed hæc est pars pœnæ nostræ: *In sudore vultus tui, vesceris pane.* Quod si ditiores nonnulli haud faciunt, aliunde castigantur. Nam vel ambitione, vel ipsa sua saturitate castigantur. Siquidem, quia fame, hoc est, condimento cibi carent, numquam bene cœnant, quod de Apicio, similibusque Sardanapalis & Eumolpis dictum est. Hi enim, quod non comederent, quia esuriebant, sed ne esurirent, numquam cum voluptate comederunt; quemadmodum Stratonicus, apud Athenæum, qui ad quietem iturus, assidue iubebat puerum sibi infundere vinum: *Non quod sitiam, inquebat, sed ne sitiam.* Malè isti & famem & sitim oderunt, & in suum detrimentum. Effecerunt enim, vt numquam illis, vel cibus, vel potus saperet. Siquidem sat' citò, Antiphanes dicebat, *famem & sitim omnia dulcia reddere, præter seipsam.* Hoc ergo commodum solatiumque habent, quos vel paupertas cogit famere; hoc supplicium diuites, si sint intemperantes.

S. Chrysolomum de hoc argumento pulcherrimè differentem audiamus. *Vnum est, inquit, quo diuitia paupertatem superare videntur quotidianis scilicet affluere delicijs, & multa in conuiujs repleti voluptate. Hoc tamen in pauperum mensa potius contingit, qui maiori, quam diuites voluptate fruuntur; & ne miremini dictum, ex ipsâ rerum demonstratione manifestum fiet. Nostis quippe omnes, & hoc consuevisti, quod voluptatem in conuiujs non ferculorum natura,*

E 3

sed

VII.

Gen. 3. 19.

Stobæ, serm; 23.

VIII.

S. Chryl. hom. 2, ad popi